



**M**elchior ex antiqua gēte Zobelorū in Franconia natus est. Is & literis & uirtutibus operam dedit, & in uirum præstātissimum euasit. Itaq; cum ad Vuirtzburgense collegium sese cōtulisset, talem sese exhibuit, ut primas post Episcopum diu obtinuerit. Cum etiam Conradus præsul obijisset, Melchior anno 1544 eius Ecclesiæ Episcopus & dux Franconiæ, ob multas corporis & animi uirtutes electus fuit. In eo uitæ statu talem se præstitit, ut ab omnibus plurimùm diligeretur. Anno uerò gubernationis octauo Albertus marchio ei bellū mouit, atq; multoties in extremum discrimen perduxit. Verùm is ea omnia sua constantia superauit, &

tandem confœderatorum ope hostem uicit, & propria ditione expulit. Carolus enim & Ferdinandus Cæsares Melchiorem iuuare, & aduersarios suppressere conabātur. Cum hoc modo sibi & patriæ optatam pacem recuperasset, à quindecim coniuratis Vuirtzeburgi, ex templo in arcē rediturus, iuxta pontem globo traicitur, anno 58. cum annos 13 & menses octo optimè præfuisset, magno omnium subditorum luctu. Itaq; Fridericus, eius in Episcopatu successor, Melchiorem honorificè in cathedrali templo sepeliri, & marmorea statua in felicem memoriam exornari curauit, cuius inscriptionem in festo paschalis anno 1565, cum ibi essem, annotare, & hic subijcere placuit.